





1744, 9  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**I N V A L I D I T A T E**  
**D I S P O S I T I O N I S I N T E R**  
**V I V O S V X O R I S ,**  
CIRCA  
**R E S G E R A D I C A S , N E G L E C T O**  
M A R I T I C O N S E N S V ,  
QVAM  
INDVLTV ET AVTHORITATE  
**M A G N I F I C I J C T O R V M O R D I N I S ,**  
IN CELEBERRIMA ERFORDIENSI ACADEMIA,  
PRO  
OBTINENDIS SVM MIS IN VTROQVE  
JVRE HONORIBVS  
D. XV. APRIL. A. O. R. MDCCXLIV.  
SINE PRÆSIDE  
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
PVBICE SVBMITTET  
AVCTOR  
**J O A N N E S C H R I S T O P H . W E R N H E R ,**  
ADVOCATVS DRES.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI.  

---

**E R F O R D I A E ,**  
LITTERIS JOH. CHRISTOPH. HERINGH,  
ACAD. TYPOGR.

DIGESTATI LITERATI MATH. MUL  
DE  
INVALIDITATE  
DISPOSITIONIS INTER  
VIAS AYORIS  
RES GERADICAS NEGLECTO  
MILLI CONSERVAT  
GAT  
INDIVITA ET VASTITATI  
MAGNIFICI ICHTORYM ORDINIS  
IN GESTATORUM ET PREDATORUM  
TRO  
OPTINENDIS SUMMI IN ATRIO  
LAJE HONORIBAS  
AUXILIIS V. O. V. MAGISTERIA  
SINE TRAVERSE  
LACIDI E REXCITATORUM PREDATORUM  
TACTICAE AVANTIA  
TACTOR  
JOANNES CHRISTOPH. AERNIUS  
IN ABDICATIO ICHTORYM MAGISTER  
EATOTORIDAE  
LITTERIS JOAN. CHRISTOPH. AERNIUS  
AGENS TAC  
LITERATI

V I R O  
ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO QVE  
DOMINO,  
D O M I N O  
C A R O L O A V G V S T O ,  
S . R . I .  
C O M I T I A R E X ,

DYNASTAE IN POBLES, KREISCHA, FRIESNITZ,  
STRVTH ET KAYNA,

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS  
ET ELECTORIS SAXONVM MINISTRO STATVS  
INTIMO, ORDINIS S. ANDREAE EQVITI,  
RELIQVA.

DOMINO ATQVE PATRONO MEO  
OMNI VENERATIONIS CVLTV  
AD CINERES VSQVE COLENDO.

ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSI-  
MEQVE  
DOMINE!

DOMINO  
CAROLO AEGASIO

S.R.I.

COMITI A REX

DIVISATE IN POBLER KREISCHY FRIESNITZ  
STRAHT ET HAYN

POTENTISSIMI POLONIVVM REGI  
ET FLEETORIS AVONIA MINISTRO STATVS  
INTIMO ORDINIS & ANDREAS FOALI  
SELIGA.



on alia, VIR ILLVSTRISSIME, est ratio  
quam insignis animi tui bonitas, quæ me  
impellit, ut exiles hasce pagellas, inter stre-  
pitum

DE CINESE ADOE COLLEDO.

pitum forensem, suffuratisque horis congestas, ILLV-  
STRISSIMO NOMINI TVO, tanquam devotissima  
mentis documentum publicum, inscribere, easque ad pe-  
des tuos ea, qua par est, animi submissione, deponere co-  
ner. Multum equidem me audere facile cognoscō, cum  
nihil in iis, quod profundiſſimae, qua instructus es, eru-  
ditioni, acutissimae, qua polles, ingenii vi, cuius fama  
dudum longe lateque percrebuit, conveniat, deprehenda-  
tur. Cum tamen magna ingenia, exigua quoque inter-  
dum non fastidiant, & in primis TV VIR ILLVSTRIS-  
SIME, omnia ea, que in dirimendis civilibus contro-  
versiis, aliquam utilitatem afferre possunt, & ad Justi-  
tiam, cuius Tu firmissimum es Præsidium, aliquo modo  
conducunt, benigno vultu intueri non dedigneris; mihi et-  
iam pro Tua, qua omnes Themidos Aſſeclas, qui spre-  
tis vitiligis, ejus aram, absque turpis lucri cupiditate,  
prout juri & religioni convenit, colunt, excipere consuē-  
sti humanitate, instituti mei veniam impetraturum,  
pollicor. Suscipe ergo VIR ILLVSTRISSIME serena  
fronte, levidensē hoc opusculum, gratiaque tua illum,  
qui eam omni pietate de venerari, nunquam desistet,

com-

JOANNES CHRYSOLYDORAS WERNER

complectere. Ego Summum Numen, ut TE in eo, quo ful-  
ges, dignitatis fastigio, omnisque, quo abundas felicitatis ge-  
nere, sospitem atque incolumem, quam duitissime hu-  
nani rebus servet, utque tuorum meritorum & intemera-  
tae justitia laudem perennet, devotissimis suspiriis desa-  
tigare, nullo tempore intermittam, ad cineres usque fu-  
turus

ILLVSTRISSIMI EXCELLEN-  
TISSIMI QVE

NOMINIS TVI

devotissimus cultor

JOANNES CHRISTOPHORVS WERNHER.



S. I.

**S**pecimen academicum editurus, eo iā primis animum converti, ut feligerem materia, ab omni inani speculatio- ne alienam, & cuius e contrario usus admodum frequens in foro esset, nulla autem lex exta- ret, quæ, quid in casu controversio sentiendum, dispo- neret.

S. II.

Inter alias ejusmodi quæstiones, & hæc, notatu- non indigna mihi visa est, quænam potetas, uxori circa res geradicæ disponendi, excluso mariti consensu competat? De utilitate & frequentia hujus quæstio- nis, non est cur multa edisseram, cum quivis paulum modo in foro versatus, eam maximam esse facile lar- gietur, quotidie enim videre licet, uxores vel totam Geradam, vel res quasdam geradicæ, insciis ac invitatis maritis, vendere, donare, oppignorare &c. interim ta-

A 2

men.

men, an ejusmodi actus, contradicente postea marito, validus an invalidus sit? Leges per omnia silent. Imo etiam quamplurimi JCti hanc quæstionem, siccō plane pede transeunt, vel ad summum adeo leviter saltem attingunt, ut nil certi ex eorum commentationibus erui possit. Tandem si quis se ad Judicūm Decrēta, sententiasque a Collegiis Juridicis lataς convertat, unum alteri contradicere, alteriusque Sententias in totum reformare, modo in hac, modo in alia causa, deprehendet.

## §. III.

Unicum casum, qui mihi ipsi ante aliquot annos, in foro perorandus obvenit, in præsentiarum, exempli loco, adduxisse sufficiet. Porrexit auctor Judici libellum, in quo conquerebatur: uxorem suam res quasdam Geradicā & cimelia, inscio ac invito se oppignorasse, & quoniam omnes contractus uxorum absque Maritorum consensu celebrati nullitate laborarent, petebat: ut reus in extraditionem rerum, hoc modo oppignoratarum, absque restituzione pecuniae uxori mutuo datae, refusis expensis litis, condemnaretur.

Reus excipiebat: auctorem omni penitus agendi jure destitui, uxori namque in rebus geradicis, non solum plenam proprietatem, sed etiam usum, liberamente dispositionem, omni jure competere; hincque auctorem cum restituzione expensarum, a limine judicij repellendum esse, contendebat. Et hujus intuitu ex voto quoque Sententiam a Facultate Juridica Lipsiensi, quam infra in copia sub c. cum rationibus decidendi exhibui, obtinuit.

Aft

Aet Leuteratione ab auctore interposita, Facultas Juridica Wittebergensis, hanc Sententiam, per eam, quæ itidem huic tractationi sub D annexis rationibus decideridi, subjuncta est, in totum reformavit, & Lipsienses, quasi contra jura trivialia pronunciaisse, arguebat. Quæ igitur opinio alteri præferenda, nostrum jam erit inquirere.

#### §. IV.

Sed res altius paulo erit repetenda. In vulgus euidem nota sunt, quæ de origine, etymologia, definitione, natura Geradæ, & successione in eandem sciri oportet; interim tamen, nec hæc silentio penitus præterire possum, cum nonnullæ rationes, infra adducendæ, quæ decisionem præsentis quæstionis ingreduntur, huc sese referant.

Germanos & inter hos præprimis Saxones, ab antiquissimis temporibus, belligerissimam gentem fuisse, nemo nisi historiarum ignarus abnuet; ex quo fiebat, ut viri armis dediti, in primis quoque comparationi armorum, equorum, aliarumque rerum ad belli usum pertinentium studebant, & hæc res, ut facile judicatu est, apud gentem bellicosam, in successione mobiliari, haud raro, non minimam reliquarum opum partem, conficiebant. Ista autem res in genere res expeditoriae, vernacula: *Das Heer-Geräth* appellari consueverunt, & filii, aut his deficientibus aliis agnatis, easdem, vi consuetudinis per diuturnos mores receptæ, præcipuas habebant. Procul dubio ex ratione, quo masculi in Heergewettam succedentes, eo alacrio-

res

res ad obeunda munia militaria redderentur, & quia filiabus istæ res, quoad ipsum usum, inutiles essent.

## §. V.

Quoniam vero hac ratione filiabus, quæ insuper juxta antiquissimas Leges Salicas in agros, aliaque prædia rustica, non succedebant, in succeßione paterna maximum præjudicium inferebatur, hinc ad similitudinem Heergewettæ, mores usum Geradæ introduxere, vi cuius filiæ, aut earum loco, proximæ cognatæ mulieris defunetæ, quoad successionem maternam, aut cognatæ, potiores res ad vestitum, mundum, ornatum suppellectilemque muliebrem pertinentes, exclusis filiis, agnatisve, sibi capiebant.

## §. VI.

Quod etymon vocis: Geradæ, attinet, variae hoc intuitu adducuntur derivationes, alii teste BARTHIO, in Tractatu Germanico, de Gerada, eam a voce teutoniæ, Gerâthe, alii, a Rad, seu rota, weil die meisten Gerade Stücken in leinen oder wollenen Gerâthe bestehen, welche von denen Weibern vermittelst des Spinn-Rades zubereitet und gefertiget werden, adhuc alii à latino vocabulo; parat, derivant, afferentes per corruptam pronunciationem anteponendo scilicet vocis: rar, ge, vocabulum Gerat, seu Gerathe, & deinde Geradam ortum esse. Ut taceam alios ejusmodi e longinquo arcessitas derivationes. Mihi illorum Sententia arridet, qui Geradam, a germanico per antiquo vocabulo Gerade, derivant, quæ derivatio significatio ni rei apparet conuenit, quippe per illam inæqualitas,

quæ in successionibus per Heergewettam introducta  
fuit, corrigitur, & ad æqualitatem reducitur.

## §. VII.

Synonyma Geradæ esse, voces: Aredium quod  
lintamina, Leinen Zeug, jocalia quod Schmuck, Puz  
significare debeat, quidam volunt, imo Glossator juris  
Magdeburgici ad An. 23. n. 38. in fine, eandem per vo-  
cabulum, *paraphernale*, exprimit. Sed omnia minus  
recte, nam ad Geradam non solum lintamina, sicut nec  
solum pretiosa, seu cimelia pertinere, & bona para-  
phernalia a Gerada toto cœlo differre, notorium est.

## §. VIII.

Ratione originis Geradæ BARTHIVS allegato Tra-  
etatu, cap. 1. §. 1. quosdam JCTOS, HEIGIVM, STRV-  
VIVM, WERNERVUM, citat, statuentes, Henricum Aucu-  
pem, post victoriam ab Hunnis, in prælio ad Martis-  
burgum reportatam, usum Geradæ & Heergewetta,  
hoc fine introduxisse, quo cæforum militum viduæ, ex  
Gerada, filii orphani autem, vel agnati, ex Heergewet-  
ta solatium quoddam caperent, & ut hi posteriores  
simil ad fortitudinem & sequendam militiam, eo ma-  
gis incitarentur; sed ipse tandem subjicit, omnia in  
meris praesumptionibus consistere. Certum quoque  
est, de origine Geradæ nil certi, statui aut offerri posse;  
nisi quod ea, per longum & immemorialem usum in-  
troducta, postea autem per Leges Provinciales confir-  
mata sit.

## §. IX.

Jam ad definitionem Geradæ progreendiendum.  
Cita-

Citatus BARTHIVS cap. I. §. 4. eam ita describit: quod fint res certæ mobiles, quas uxores sua sub custodia habent, & quæ secundum Leges & mores Saxonum, viduæ, post obitum mariti, propriæ permanent, eidemque relinquunt debent, aut quæ proximæ cognatæ, pér matrem junctæ, post obitum cognatae, cedunt, ei que ab haeredibus, mediante inventario aut jurata specificatione extradi debent.

## §. X.

Varia in hac definitione desiderari possunt. Sic nulla in ea fit mentio, in quo res Geradiles proprie consistant; nam sola asservatio, & successio rem Geradicam non efficit. Porro vi hujus definitionis concludere quis possit, solas uxores & viduas, non autem virgines aut alias mulieres solutas, habere Geradam, quod tamen & Legibus & quotidianæ experientiæ repugnaret. Loco uxoris & viduæ, itaque simpliciter vox: fœmina, aut mulier, ponenda fuisset. Insuper de eo quod juris, uxori vivente marito, aut quæ inter vivos disponendi facultas competit, altum est silentium. Taceo, alia sphalmata, in hac definitione occurreria.

## §. XI.

Mihi ita commodissime Geradam describi posse videtur, quod nempe ea sit universitas rerum, constitutum in rebus mobilibus ad vestitum, mundum, ornatum, aliamque suppelleabilem & usum aut commoditatem muliebrem pertinendum, quarum proprietas usus & ususfructus liberaque dispositio inter vivos fœminis

minis competit, & in quos post obitum mulieris, fœminæ descendentes, vel his deficientibus, aliae proximæ cognatae, lineaæ maternalis succedunt.

**§. XII.**

Ita quoad fœminas solutas Geradam describere libet, intuitu uxorum autem, quoad jus, quod ipsis competit, descriptio paulum aliter formanda, & dicendum: quod equidem proprietas rerum Geradicarum ex ipsius uxorū opibus profectarum, ad eandem quidem æque spectet, usus autem & inter vivos dispositio, non aliter, quam in quantum maritus consentit; & quod post obitum mariti, hanc suam geradam uxor ex mariti hæreditate pleno jure recipiat, & insuper quoque eas res, quæ Geradæ annumerari solent, & mariti pecunia coëmtæ sunt, capiat.

**§. XIII.**

Ex hac credo descriptione, quemvis, etiamsi numquam Geradæ vocem audierit, sufficientem conceptum sibi formare posse. Alia insuper jura circa Geradam occurrentia scrutari, nostrum non est, itaque prætermis omnibus aliis, sola quæstio, quæ in rubro conspicitur, an scilicet uxor, absque consensu mariti, vel integrum Geradam, vel res quasdam singulares Geradicas, vendere, donare oppignorare, vel alio modo inter vivos alienare valide & de jure possit, penitus enucleanda.

**§. XIV.**

Rationes, quæ pro affirmativa Sententia afferri possunt & solent, sunt propemodum sequentes:

B

1) Pro-

1) Proprietatem rerum Geradicarum omni jure & procul omni dubio, ad uxorem pertinere, & proprietati, regulariter usum, usumfructum, liberamque dispositionem cohaerere, nisi hæc, vel pacto vel lege immutata sint. Tale quid autem

2) & quod Leges uxoribus, disponendi & alienandi potestatem, citra consensum mariti ademerint, nusquam reperiri.

3) Geradam ex jure moribusque patriis, peculiarem habere naturam, & talem, ut ea ad uxorem sine pacto & sine conventione liberrime pertineat; hinc sine ulla, cuiusvis contradictione, bonum receptuum esse legale, tradente ita

BERGERO in *Dissert. de discrimine bonorum uxoris*

*§. 23. habita Vitemberge d. 30. Jul. 1709.*

Quemadmodum ergo in bonis receptiis pactiis, uxori competit libera dispositio, ita quoque eandem, illi non adimi posse in receptiis bonis legalibus, contenditur, cum certe legis, nisi major vis, saltet æqualis tamen cum pacto esse debeat.

4) Licet etiam ad summum Gerada ad paraphernalia bona pertineat, in his tamen ne quidem marito usumfructum competere, adeoque plane jus agendi vel impugnandi ejusmodi Geradæ venditionem deficere.

5) Contradictionem mariti, ratione rerum geradicarum, ab uxore propria autoritate alienatarum, nullius momenti esse, eamque omni effectu destitui, quippe cum neque ex jure in re aut ad rem, actum hoc modo a muliere celebratum, impugnare possit.

Quodsi

Quodsi enim ex jure in re agere vellet, eum proprietate & usufructu in rebus Geradicis destitui, sicque nullam actionem realem ipsi competere; ex jure ad rem autem, eundem multo minus agere posse, quia regulariter pacta circa Geradam non inveniuntur, & si tale quid factum, hoc tertio non posse præjudicare, sed saltem jus contra ipsam uxorem, exinde oriri.

6) Porro asseritur, quotidianam experientiam testificari, uxores Geradam in maritos titulo emtionis transferre, & contractus ejusmodi in foro pro validis reputari, quodsi autem mariti jam antea jus in Geradam haberent, absurdum esset, hoc denuo coemere.

7) Plurimos equidem statuere, marito usumfructum etiam in Gerada competere, & hoc jus ususfructus potestatem marito tribuere res geradicas, ab uxore fine suo confessu alienatas, per actionem confessoriā à quoconque possessore revocandi vindicandi que, sed hoc principium esse falsissimum, cum naturae Geradæ repugnet, ut viri in eadem usumfructum habere possint; quo modo enim maritus, vestimentis uxoris instrumentis muliebribus uti posset? ridiculum hunc fore usumfructum. Et quamvis res quædam geradiles v. g. lecti &c. ita comparatae sint, ut eadem viris quoque usum præbere possint, statuerūt tamen ejusmodi usum magis ex gratia uxorum provenire, quam maritis jus tribuere; insuper a rebus quibusdam particularibus, ad universam Geradam argumentum non trahi posse.

- 8) Jura alias nimis favorabilia pro maritis esse, illisque nimium potestatis in res & personas uxorum tribuere; quibus eosdem contentos esse, neque usumfructum in Gerada quoque per se incapaci, ut viro talem præbeat, contra æquitatem prætendere oportere.
- 9) JCTos nimium injuriosos in elegantiorum sexum esse, si statuere vellent, uxoribus nil plane proprii relinquendum easdemque ab omni commercio, sine mariti fide, excludendas, omnemque de re sua disponendi facultatem, ipsis adimendam.
- 10) Ejusmodi Catonianas opiniones, quæ nequidem uxoribus super vestimentis suis, aliisve exigui pretii rebus, disponere permittunt, potestatem Maritis in uxorem & familiam competentem direttivam, convertere in Dominicam, & uxores quamvis personas liberas hoc modo in conditionem servarum ancillarumque incidere, utpote quas etiam olim, nil proprii sibi habere, nec de ulla re disponere potuisse, notum sit,
- 11) Leges, quæ maritis usumfructum in uxorum bonis indilgent, esse odiosum quid, quia proprietario usumfructum, regulariter cum proprietate conjunctum adimunt, omnia autem odiosa strictæ esse interpretationis, ex regulis hermeneuticis constare, id que in primis hic esse observandum, cum nulla expressa lex adsit, quæ marito usumfructum in Gerada attribuat.
- 12) CONST. ELECT. 13. § 14. P. 2. tribuere uxoribus potestatem donandi Geradam, & hinc multo magis ven-

vendendi facultatem eo ipso concessam esse. Nov.  
Mand. Potentiss. Regis Pol. & Elec. Sax. de dato Dres-  
den d. 18. Nov. 1722. quoque excipere receptitia ex-  
pressa, per consequens quoque legalia, huc referenda  
esse.

## S. XV.

His e contrario opponi solent, rationes in senten-  
tia infra sub D adjecta, recensitae, scilicet

- 1.) Maritum in universis uxoris bonis, habere usum-  
fructum per

*Land. N. L. 1. a. 31. § 45.*

- Geradam autem sine dubio etiam ad universa bona  
pertinere.
- 2.) Geradam multis modis marito utilitatem afferre  
posse, cum ratione communis familiae usus, tum ra-  
tione ipsius uxoris.

- 3.) Ad bona receptitia Geradam non posse referri, cum  
haec pactum speciale & expressum presupponant,  
quale quid in Gerada regulariter non deprehendatur.
- 4.) Omnes actus ab uxore sine mariti consensu cele-  
bratos, omnesque alienationes bonorum suorum,  
nullitate laborare, & sic etiam alienationem rerum  
Geradicarum, ipso jure esse nullam. Hincque ma-  
rito vindicationem competere, vi cuius eæ res sine  
restitutione pecuniae uxori datae, effent extradendæ

*Land. N. c. 1. MAND. REG. de dato 18. Nov. 1722.*

*HOFFMANN. de Gerada P. I. §. 128.*

- 5.) Marito jure Teutonico & in primis Saxonico, com-  
petere

petere speciem quandam dominii utilis, in bonis  
uxoris, jam vero, non solum Dominum utilem, sed  
etiam usufructuarium habere actionem realem,  
ad extradendas res, in quibus ususfructus compe-  
tit, & ipsum usumfructum percipiendum; & que-  
alia insuper adduci possent argumenta,

### §. XVI.

Mea Sententia, posterior opinio priori præferen-  
da, & priores rationes, partim analogiae principiisque  
juris repugnare, partim in se nullius esse momenti,  
quivis facile animadvertiset. Posteriorem itaque sen-  
tentiam defensurus, hanc methodum servabo, ut  
omnes rationes pro illa facientes, prolixius non nihil  
explicem, & simul rationes contrarias convellam, in  
quantum autem rerum connexio, hanc refutationem  
non admittet, separatim eam ultimo pertraetem.

### §. XVII.

Cardinem quæstionis, ad usumfructum recidere,  
& quæstionem controversam, ex jure ususfructus ma-  
ritalis dirimendam esse, haud difficile est intellectu, in-  
terim tamen cum is in nulla lege, disertis verbis, ma-  
ritis in conjugum Gerada indulgeatur, fontes Legum  
de usufructu maritali in genere disponentes, evol-  
vendi.

### §. XVIII.

Dotalium bonorum maritum esse dominum ci-  
vilem, adeoque usumfructum eidem jure Dominii hu-  
jus civilis competere, tralatitium est, & ex L. 75. ff. de  
jur. dot. constat; remanente apud uxorem pendente  
con-

conjugio, dominio naturali seu quieto, cuius exercitium ad solutionem matrimonii suspenditur, qua secuta, res dotalis quoad proprietatem & usumfructum, omniaque alia jura ad uxorem regulariter revertitur.

### §. XIX.

Quod bona paraphernalia à *raed* & *phiun* dicta, i. e. quæ praeter dotem ab uxore inferuntur, attinet; non una est DD. opinio: quam plurimi enim in his marito jure Romano usumfructum non competere assertunt; alii vero contrariam Sententiam tuentur. Mihi propter L. 8. & 11. Cod. de pac*t*. conv. etiam hoc jure, marito usumfructum non posse abjudicari videatur, quia in priori Lege expresse dicitur, maritum, uxore prohibente, nullam habere in paraphernis communionem, quo ipso infertur, si talis prohibitio (quæ autem legalis & ante consummationem matrimonii interveniente intelligitur) adsit, ex bonis paraphernalibus, effici bona receptitia; si autem talis non adsit, communionem (sub qua ususfructus ad sustinenda matrimonii onera competens, haud obscure indigitatur) introduci, satis appareat. In posteriori autem Lege res adhuc clarius deciditur, per verba: *uifaras autem eorum se paraphernorum circa se & uxorem expendere licitum est marito*, per que, satis puto palpabile indigitatur, usumfructum circa bona paraphernalia ad sustinenda matrimonii onera, marito esse indulgendum.

### §. XX.

Textus juris Saxonici communis, quæ intuitu hujus materiae allegari solent, sunt sequentes, & quidem primo

primo art. 31. L. 1. Q. N. ubi dicitur, postquam vir mulieri copulatur, tunc omnia ejus bona in suam accipit tutelam, ideoque mulier nullam ei facere potest, in suis mobilibus vel proprietate donationem, ut per id, post mortem ipsius, a veris ejus hereditibus alienentur. Et ex eo apparet quod vir in substantia sue uxoris, non potest jus aliquod sibi vindicare, nisi eam quam circa desponsationem nadus est tutelam.

Porro art. 45. c. L. 1. ubi haec verba reperiuntur: *Licet maritus uxori sue, quantum ad progeniem non sit aequalis, ratione tamen consummati matrimonii, ejus tutor est, & efficitur sibi aequalis.* Moriente autem viro, mulier ab ejus absolvitur jure, & primum statum, quem ante copulationem viri habuit, recuperabit, innatumque jus adquirat, & ideo non mariti ejus, sed ei in progenie aequalis & proximior agnatus ex parte gladii, tutor ejus erit: exindeque mulier nulla bona, sine viri consensu, donandi vendendi, neque resignandi habet potestatem, & hoc propterea, quia ipsa ea, cum uxore noscitur possidere, & denique art. 45. L. III. ubi haec leguntur, *Marius est etiam tutor uxoris post desponsationem.* Uxor cum lectione marii ascenderit, per illam copulationem, eidem in generatione coequatur, mortuo viro mulier ab ejus jure liberatur.

Hæc propemodum sunt ea, quæ pro stabiliendo jure maritali, circa bondum uxoris paraphernalia affiri solent. Interim tamen nemo non animadvertis, in his textibus ne iota quidem reperiri, quod marito usumfructum in paraphernis addicit, sed quemadmodum usus quam sæpissime in interpretatione Legum tyran-

tyrannum agit, ita quoque hoc hujus intuitu factum,  
& à potestate mariti directiva in familiam, nec non de  
prohibitione alienationis bonorum uxoris, protinus  
Dd. argumentum duxerunt ad usumfructum; & fru-  
stra quis in contrarium disceptabit. Praxis quotidiana  
in primis in foris Saxoniciis in universum maritis, usum-  
fructum omnium omnino bonorum uxoris, tribuit.  
Hoc autem ita præstructo, recte argumentum ducitur  
ab usufructu ad prohibitam alienationem bonorum  
quorumvis, (receptitiis uti per se patet exceptis) etiam  
Geradicorum, ab uxore invito marito, factam. Nec  
est, quod objicis usumfructum in rebus geradicis ejus  
esse naturæ, ut a viris percipi nequeat. Taceo enim  
res plerasque Geradicas ita comparatas esse, ut omni-  
no viris quoque usum præbere possint v. g. lecti, lin-  
teamina, specula, tapetes, & res aliæ quamplurimæ  
utensiles; in iis autem, quæ plane usum viris præbere  
nequeunt, ut sunt vestes mulieres &c. nil impedit,  
quo minus mariti# commoditatem usufruendi, tacite  
& expresse uxoribus indulgere possint, quemadmodum  
usufructuum generibus plane non repugnat, ut  
commodatatem usufruendi usufructuarius aliis cede-  
re possit. Sicut ergo cuicunque usufructuario actio  
realis ad restitutionem rei usufruendæ, & percipien-  
dum usufructum competit, ita quoque marito actio  
confessoria, ad revocandas res Geradicæ, ab uxore  
sine ejus consensu alienatas, ad consequendum liberum  
usufructus exercitum, sine dubio tribuenda erit, sive  
deinde recipere usufruat, sive commoditatem usufru-  
endi, uxori expresse vel tacite indulget.

C

§. XXI.

## §. XXI.

Considerato arguento ab usufructu desumpto, jam ad aliud progrediendum, & meo quidem judicio illud fortissimum est, quod de expressa prohibitione omnium omnino bonorum, quæcunque demum illa sint, in commemoratis textibus juris patrii, des Land-Nechtes, habetur. Cum enim ibi uxori, claris atque perspicuis verbis, omnis bonorum suorum alienatio sine consensu mariti, uti modo dictum, interdicatur. Sequitur exinde etiam geradam sub generali expressione bonorum uxorum, necessario comprehendendi, cum hujus intuitu nulla peculiari lex adsit, quæ uxori disponendi liberam facultatem quoad res geradicas indulget. Et ex hoc porro consequitur, si uxor de facto, ejusmodi alienationem inscio marito suscipiat, eandem contra Leges esse initam, adeoque vitio nullitatis laborare, & sic marito, tanquam legitimo uxorius tutori, uti in citatis textibus appellatur, facultatem ad reverandas res hoc modo alienatas competere. Dubio autem caret, pecuniam uxori datam, pro re vel alienata vel oppignorata, dummodo versio in rem uxoris demonstrari queat, contrahenti cum uxore esse restituendam, cum haec, ex facto suo illicito, omnino cum alterius damno, non debeat locupletior fieri.

## §. XXII.

Quoad jus Saxonum Elektorale, huic opinioni obstat videtur. *Conf. Elec. 13. § 14. P. 2.* nec non *Decr. Elect. 22.* ubi uxori expressa potestas tribuitur, vel integrum Geradam, vel partem aliquam per donationem

nem

nem inter vivos, in aliquem, excepto marito, conferendi. Ex quo sponte fluit argumentum: si donatio rerum Geradicarum uxoribus permissa, multo magis venditio, oppignoratio & aliae alienationes titulo oneroso factæ, licitæ erunt, sed huic dubio facile occurri potest, si consideretur, in dicta lege, sermonem esse de Gerada, cuius proprietas quidem in aliquem valido modo transfertur, usus vero quoad dies vitæ, apud uxorem remanet; id quod per verba ibidem in fine subjuncta: und in allen diesen Fällen mag die Donatrix, ihr den usum und Gebrauch, auf ihr Leben fürbehalten, welches also geschehen kan, daß nach der Tradition der Donatarius, ihr die donirten Stücke, oder die Schlüssel dazzu, wieder zustelle. satis declaratur.

Magis id porro elucet ex antecedentibus ejus legis, cuius verba initialia ita se habent: Durch Testament oder letzten Willen kan die Gerade der Nüffel zu Nachtheil nicht verändert werden, aber durch die Übergabe unter denen Lebendigen. Et sic inter vivos. Per haec verba autem, solum indigitatur casus, ubi valida quidem alienatio inter vivos facta, sed usus quoad dies vitæ reservatus, & sic executio donationis ad terminum mortis suspensa. Id quod etiam ex eo patet, si consideres uxorem per rerum naturam, integra Gerada sua, quoad vitam carere non posse; sed usum vestium, alienarumque rerum suppellectilium, illi quotidie esse necessarium. Quodsi vero uxor omnes res Geradiles, præsentes & futuras, etiam quoad usum & proprietatem, in aliquem transferre posset, sequeretur, quod mulier spoliata hoc modo Gerada sua, quoties-

cunque vel ipsa, vel maritus eidem novam Geradam compararet, hanc statim donatario vel emtori integræ Geradæ, iterum esse extradendam, & sic talem uxorem semper sine Gerada, adeoque sine vestibus, aliaque suppellectili esse debere; Quod vero valde absurdum esset. Insuper silentio non prætereundum, Maritorum consensum in dictis textibus nuspian excludi, imo eundem pro essentia requiri, ut videre est, ex sequenti *Constitut. XV.* nec non allegata *Decis. XXII.* ubi expresse sancitur, daß alle derer Eheweiber, ohne derer Ehemänner und anderer Curatorum Consens (i. e. mariti, & si quem alium Curatorem habeat mulier utriusque consensus simul & copulative requiritur) vorgenommene Handlungen an und vor sich und ipso jure null und ungültig seyn sollen.

Nunquam autem maritum sana ratione præditum, in ejusmodi alienationem Geradæ, sibi adeo damnosam, consensurum esse, nemo facile abnegabit. Tandem huic sententiae quoque adstipulatur, *Mandatum beatissime memoria Regis Poloniae & Elektoris Saxonie de dato Dresden d. 18. Novembr. 1722.* quod omnibus aëtibus, ab uxore sine mariti consensu initis, exceptis iis, qui circa bona receptitia intervenere, validitatem denegat, eosque simpliciter pro nullis declarat. Geradam autem pro bonis receptitiis minime habendam esse, jamjam ostendam.

### §. XXIII.

Per expressa quidem pacta, ante consummationem matrimonii inita, Geradam, in bonum recepti-  
tum

rium converti posse, non negaverim; ast ejusmodi pa-  
etō deficiente, per leges, Geradam pro bono receptitio  
legali reputandam, hoc minus statuerim, cum nulla lex  
otendit possit, quæ Geradæ, qualitatem boni receptitii,  
tribuat, sine lege autem bona receptitia introduci, sicut  
& alia jura singularia aut privilegia, fingi non debere,  
per se manifestum est. Huic opinioni etiam praxis  
quotidiana fori reclamat, quæ nunquam rebus Gera-  
dilibus qualitatem boni receptitii, eo cum effectu tri-  
buit, ut uxor sine præscitu mariti, super iisdem va-  
lide disponere possit. Et quantum memini, nemo  
præter supra §. 12. allegatum Bergerum, in ita Dispu-  
tatione ejusmodi singularem fovet opinionem, vi cui-  
jus Gerada pro bono receptitio tacito legali, reputari  
debeat. Ipse etiam BERGERVS c. l. statim tot, tamque  
generales subiungit limitationes, quæ totam propemo-  
dum regulam, omnemque vim atque effectum, boni  
receptitii intervertunt; ita v. g. statuit, mariti consen-  
sum in donatione etiam modica seu extrajudiciali, &  
alias quotiescumque ejus intersit, v. g. in rebus ad com-  
munem familiæ usum comparatis, ut lectis, pulvinari-  
bus, linteamentis, nappis &c. esse adhibendum, quia  
alioquin ad novas ejusmodi species coëmendas mari-  
tus teneretur.

Ast in omni alienatione rerum Geradicarum, ma-  
riti interesse, nemo non facile intelliget; adeoque nun-  
quam alienationem ab uxore inscio marito suscep-  
tam consistere posse, & sic qualitatem boni receptitii in Ge-  
radæ, ens rationis esse, per se patet. Tandem quoque  
citatius Author addit, alienationem Geradæ ab uxore

sola initam, irritam esse, quoties marito juxta Statuta & jura localia in eadem competat successio. Jam vero in plurimis locis, ubi Geradæ usus (introducedus) ejusmodi statuta vigere, experientia nos docet, ita juxta Statuta Dresdenia, Cap. IX. §. 4. maritus uxore nullis relictis filiabus aut neptibus, mortua, proximis ejusdem cognatis, nonnisi ad dimidiæ Geradæ, vulgo Nistel-Gerade, dictæ, extraditionem obstrictus est. Dicatum insuper de qualitate boni receiptitii principium, naturæ & primo usui Geradæ plane repugnat; ejusdem enim usus, ut supra ostendi, potissimum quo ad successionem introducedus, sc. qua viduæ in folatione amissorum maritorum, eandem ex bonis defuncti mariti capiant, & quo in successionibus parentum, filiabus in compensationem Heergewettæ, Gerada tribuatur, hocque modo aliqualis æqualitas introducatur; quæ ratio deinde etiam ad alias cognatas, agnatosque in Geradam & Heergewettam succedentes, applicari potest.

#### §. XXIV.

Denique utilitas publica postulare videtur, ne uxoribus libera in rebus geradicis dispositio permittatur; quodsi enim uxoribus indistincte res geradicas dissipandi, licentia indulgeretur, & viri in rerum dissipatarum vicem, semper novas, vel ad vestitum uxoris, vel communem familie, usum necessarias, comparare cogerentur, sane hoc modo non exiguis maritorum numerus, præprimis hoc luxurioso & desperdito seculo, ubi non raro major prodigalitas & luxuria in-

feci-  
mo

fœminis, quam in masculis conspicitur, ad incitas redigi posset. Cui vero malo ut obex ponatur, salus reipublicæ omnino requirit, & Princis legislatoris interest, curam habere, ut omnes cives subditique, in quantum fieri potest, conserventur.

### §. XXV.

Has rationes sufficientes putem pro stabilienda negativa sententia quæstionis propositæ; & per has simul quoque contrariæ, quæ his opportuntur, supra §. 12. commemoratae, refutatae sunt. Interim tamen, ne quid præterire videar, ad nonnullas quædam, quæ connexio supra inserere non permisit, regeram.

### §. XXVI.

Itaque quod Imam contrariam rationem d. §. 12. attinet, verum quidem est, cum proprietate, regulariter usumfructum esse conjunctum, interim tamen nil obstat, quo minus etiam ab eadem separatus esse queat, quod sœpissime quamplurimis in rebus & variis occasionibus ad certum quoddam tempus per paœta, imo etiam per ipsas LL. ita constituitur e. g. in filiofamilias ratione peculii adventitiæ regularis, in matto ratione dotalium, & aliis casibus.

Hinc pari modo nihil absoni erit, maritum pendente matrimonio, in rebus Geradicis habere usumfructum, uxorem vero proprietatem, quæ duo post mortem mariti, rursus in persona uxoris conjunguntur.

### §. XXVII.

## §. XXVII.

Qu. 3. & 4. rat. si hoc Bergeri assertum, quod nempe Gerada bonum sit receptitum legale, veritatem esset consentaneum, facile largirer, totam hanc disquisitionem fore frustraneam, quia sic uxor in ejusmodi bonis, quemadmodum in aliis receptitiis, quibus expressum pactum intervenit; excluso penitus mariti consensu, liberrima gauderet disponendi facultate. Ast quemadmodum alias silentibus legibus iura singularia fingere, nostrum non est, ita quoque in praesenti, Geradam bonum receptitum legale, appellare, nulla id lege jubente, sane erubescendum.

## §. XXVIII.

Qu. 5. & 6. rat. Marito jure civili Saxonico Eleitorali & communi, nec non constanti usu fori usumfructum in paraphernalibus adjicari, supra §. 17. & 18. prolixius est demonstratum; adeoque si quis ad paraphernalia Geradam referat, quo illa etiam ostendit minino est referenda, marito quoque usumfructum, quoad eamdem, & hinc actionem realem eo ipso trahit.

## §. XXIX.

Qu. rat. 8. Incongruum & Legibus contrarium plane non est, si proprietarius, proprietatem rei, in qua alteri ususfructus competit, in ipsum ususfructuarium transfert, & hoc quotidie ita fieri, in ipsis rerum argumentis deprehendimus, quo minus ergo uxor adhibito peculari curatore, eodem modo proprietatem Gera-

Geradæ in maritum tanquam usufructuarium transferat, nulla sane ratio obest.

§. XXX.

Qu. rat. IO. Cerebrina hæc est æquitas, quæ ad minuenda jura Maritorum tendit. Aequius magis asseritur: quia maritus ad omnia onera matrimonii viætum & amictum & ipsam Geradam uxori comparandam obstrictus est, hinc quoque eidem reæte usumfructum in omnibus omnino uxoris bonis tribui. Insuper non pauca matrimonia contrahuntur, ubi nec dos nec paraphernalia bona adsunt. Quodsi ergo nec in Gerada marito ususfructus competierit, sèpissime plane nihil juris mariti in uxorum bonis haberent.

§. XXXI.

Qu. rat. II. & 12. Lepida hæc est philosophia, de comparatione status uxorum cum conditione servili. Vir est caput & Director familie, hinc quoque æquum est, ut nihil in familia sine ejus consensu suscipiatur. Quodsi vero uxoribus indulgeretur pro lubitu res generadicas distrahere, cui quæso usui esset, vis & potestas directiva in familia maritis jure divino & humano concessa? Insuper pupilli quoque & minores sine Tutorum & Curatorum consensu nihil valide gerunt propterea tamen nemo eosdem servorum conditioni æquiparabit.

Cumque ita thesis, quam defendendam suscepimus, hoc modo sit absoluta, & exiguitas tractationis permittat, corollarii loco, adhuc paucis eruam, aliam, cum praecedente quammaxime connexam quæstionem.

D

nem.

nem, num scilicet res, quas maritus vel ad mundum ornatum vestitumne uxor, aut communem familie usum, sua pecunia comparavit, & que in se ejus naturae sunt, ut inter res Geradiles referri possint, protinus pro talibus omni eveniente casu sint reputande? dummodo custodiae uxoris conceditae, vel usui ejusdem commissae. Utilitatem questionis hoc majorem credo, quod maxima pars JCtorum, teste quotidiana observantia, erroneam affirmativam opinionem tanquam pro aris & focis defendant, eique ita pertinaciter inharent, ut ne solidissimis quidem rationibus, cedere velint. Sed eam principiis juris quammaxime contrariari, sequentia docebunt.

Executus est hoc argumentum prolixe satis, Dn. *Baro à WERNHER in Enunciatis Fori Hod. P. I. Enunc. X.* cuius ibidem adductas rationes huc excerpere, & quasi in compendium redigere liceat.

#### §. XXXII.

Res itaque hoc modo comparatas uxorique traditas, naturae Geradam non induere, sed marito proprias permanere, exinde patet, quia primo deficit titulus ad Dominii translationem habilis, si scilicet, prouti suppono, res sine mentione tituli, solum ad usum vel custodiae gratia sint traditae. Simplicem enim & nudam rei traditionem, nullo titulo suffultam, per se nihil juris in accipientem transferre, praecipit *L. 3. pr. ff. d. A. R. D.* Jam in hoc casu nihil occurrit, quod abdicationem dominii innuat, dum scilicet maritus id solum intendit, ut vel uxor cultior aut ornatiior incedat,

dat, vel ut res usui economico destinatae, ab uxore, cui ejus rei cura incipit, ad eundem actualiter adhibentur.

### §. XXXIII.

Si autem objiciatur presumtam huic traditioni inesse donationem repono: donandi animum per l. 25. ff. d. Prob., excepto casu L. 11. C. de Neg. gest. qui tamen huc non quadrat, nunquam presumi; & insuper donations inter conjuges, omni destitui validitate, i. e. ff. & C. de Donat. inter vir. & uxor. satis inculcare.

### §. XXXIV.

Excipit equidem BERG. P. 2. Suppl. ad Elec. Dis. for. Tit. 45.

#### Obs. II.

& cum eo BARTH. de Gerada c. 5. §. 1. & complures alii, donationem modalem, ut nempe uxor res hoc modo donatas, vel ad suum solum, vel ad suum & familiæ usum simil applicet, sustineri, eamque tanquam exceptionem à regula esse considerandam. Sed haec distinctione merum inventum cerebrinum est, LL. plane incognitum, & propterea nullius plane momenti. Donatio enim semper liberalitatem continet, nec suam essentiam alterat, sive extra eam, tanquam accessoriū, modus aut conditio adjiciatur sive non. Taceo insuper, si ejusmodi exceptionibus & distinctionibus locus daretur, haud difficulter totam doctrinam de donationibus subverti, Legesque hac ratione eludi posse, cum facile semper vel modus, vel conditio donationibus alias prohibitis, adjici queat.

## §. XXXV.

His principiis ex jure civili depromtis nil reclamat jus Sax. neque commune neque Ele<sup>r</sup>orale, nam & hoc vid. art. 31. L. 1. & R. & Const. Ele<sup>r</sup>. 13. donatio-nes inter Conjuges pro invalidis sunt declaratae; & horum jurium beneficio solum uxor post mortem mariti, res utensiles, quae in ejus custodia sunt, ex defun-cti haereditate percipit; ex quo vero neutiquam con-sequitur, quod illa vivo marito, jus aliquod in rebus Geradicis, mariti pecunia comparatis consecuta sit. Circa has enim non minus marito omnia jura salva sunt, quoad vivit, quam illis personis, qui ad legitima-re relinquendam Legibus adstringuntur, libera circa suas opes, inter vivos dispositio conservatur. Per-ceptio Geradæ, ratione uxor, est & manet successio legalis, quemadmodum beneficium legitimæ, haec autem superstitione nullum jus admittit.

## §. XXXVI.

Huic thesi porro objicitur, arg. L. ult. ff. de acquiri-vel amitt. pess. L. ult. C. d. Rei vind. L. 2. C. de prubat. pos-sessionem dominii præsumptionem inducere, & à ne-cessitate edendi tituli liberare, adeoque nec in præsen-ti uxorem res geradicas possidentem, & sua sub cu-stodia habentem, commodo possessionis esse spoliandi-dam. Sed hoc dubium facile removetur, si confide-res, ja<sup>c</sup>tatum præsumptionem dominii, quamprimum, maritus probat, res geradicas sua pecunia compara-tas, eo ipso æque tolli, ac si e.g. deponens, contra depositarii haeredes depositionem forte negantes, pro-

probet rem depositam quæstionis, ad se jure proprietatis spectare. §. XXXVII. Ita si in aliis libris Præterea huic thesi contradicentes, haud exiguum suæ opinionis fundamentum in eo constitutum esse credunt, quod art. 38. in fin. L. 3. Land. Recht cognata defunctæ uxoris (deficiente nempe filia) hujus Geradam capiat, sub qua omnia utensilia, etiam mariti pecunia comparata, contineri contendunt. Sed luculenta differentia est, inter Geradam, quam uxori beneficio Legum, ex defuncti mariti hæreditate capit, ad quam utique omnes res, quæ alias habiles sunt, ut in Gerada sibi locum vindicent, pertinent; & inter Geradam, in quam defuncta uxore, superstite marito, cognata succedit. Hæc nullas alias res, quam quæ uxoris propriæ fuere, prætendere potest, id quod satis clare indigitatur, per verba art. 20. c. 1. L. R. Aliso behalte auch ihre Nüffel, ihre Gerade nach ihrem Todte, ob sie eher stirbet, denn ihr Mann ic. Nam pronomen ihre, successionem cognatae in bona Geradica, haud obscure ad eas res restringit, quæ jure proprietatis ad mortuam uxorem pertinuere, & illas excipit, quæ pecunia mariti coëmte; cum alioquin valde iniquum esset, maritum omni suppellectile etiam sua pecunia comparata, ratione cuius tamen, erga neminem, de jure suo aliquid remisit, hoc modo à cognata, lucro inhiantre, spoliari & exui.

## §. XXXVIII.

Utilitatem quæstionis variis occasionibus sese excrere qui quis facile cognoscet, in primis autem tunc,

D 3

fi v.

si v.g. marito bonis labente, uxor creditoribus ejusmodi res tanquam proprias eripere, aut si locator prædii urbani, in talibus rebus inquilini, vel jus retentionis exercere, vel in iis, ratione pensionis auctammorum, tacitam sibi competere hypothecam, afferere velit.

*et quod cum eum §. XXXIX.*

Cæteroquin non inficiandum, alias multas questiones, adhucdum nulla certa lege decisas, circa materiam Geradæ occurtere, v.g. quæ res pro mutatione temporum, proprie ad Geradam sint referendæ, & quæ sunt his similes alia complures, quarum intuitu, Doctores, & Collegia juridica in varias, ut solent, sententias eunt, & per hoc inconstantem usum fori reddunt, ut adeo optandum; differentiam inter bona Geradica & Heergewettica, Lege publica in universum tolli, quemadmodum hoc quibusdam in terris, v.g. *Ducatu Luneburgensi & Guelpherbytano Eccl. test. BARTHIO in all. Trad. de Gerada, c. 1. §. ult.* jam factum.

Sane hoc modo, magnum litium numerum ex foris Saxonicas profligari posse, nemo facile dubitabit.

F I N I S.

○

Unser freundlich Dienst zuvor.

Ehrenvester, Wohlgelahrter, günstiger Herr  
und guter Freund,

Auf Vorbringen, Exception und erfolgte Gesätze in Sachen Anwalten N. N. Klägers an einem, Curatorum N. N. Beklagten andern Theils, so derselbe Uns samt denen dieffalls ergangenen Acten zugeschickter, und sich des Rechten darüber zu belehnen gebethen hat; Sprechen wir Königliche Pohlische und Churfürstl. Sächsische Schöppen zu Leipzig vor Recht:

Das Kläger vor allen Dingen den Vorstand derer Unkosten haber auf dreyzig Thaler hoch zu bestellen, oder daß sein Principal in diesen Landen, mit unbeweglichen Güthern angesessen, bezubringen schuldig, und die erhobene Klage hat, inmaßen sie anbracht, nicht statt, es ist auch Kläger die durch diesen Proeß verursachte Unkosten, wovon die fol. 32. liquidiren auf Drey Thaler 22. gl. zu mäßigen, Beklagten zu ersezzen verbunden. Von Rechts wegen. Zu Uhrkund mit Unsern Insiegel versiegelt.

Königl. Pohlische und Churfürstl. Sächsische Schöppen zu Leipzig.

Ratio-

## Rationes Decidendi.

Obwohl Kläger, daß nach Sachsen-Rechte eine Ehe-Frau ohne ihres Ehe-Mannes Einwilligung, weder ihre liegende noch fahrende Haabe veräußern darf, anführt, hiernächst von selbigen sowohl, als derer Ehe-Weiber Gerade Stücken dem Manne der Missbrauch, zu dessen Schmählerung eine Frau etwas davon zu veräußern nicht befugt ist, zustehet, worzu kommt, daß Klägers Ehe-Weib in dem Vergleiche fol. 33, was maszen sie ohne ihres Ehe-Mannes Genehmhaltung, weder von ihrer ieszigen noch zukünftigen Gerade, etwas vereinzeln wolle, sich ausdrücklich anheisig gemacht,

Dieweil aber dennoch die verseßten Pfänder des Klägers Eigenthum nicht sind, und der blosse usus-fructus ihm kein Recht giebet, solche von jedweden Besitzer wieder einzubringen, zumahl da davon, daß Beklagter solche noch besitze, so wenig als von dem angezogenen Vergleiche in der Klage, einige Erwehung geschehen, und bey solchen Umständen Beklagten vergebene Unkosten zugezogen worden; So ist von Uns gesprochener maszen billig erkannt.

¶ Unser

## Unser freundlich Dienst zuvor.

Ehrenwester, Wohlgelehrter, günstiger Herr  
und Freund,

Als derselbe Uns Leuterungs-Schrift und erfolgte  
Gesäze in Sachen Anwalten N. N. Klägers an ei-  
nem, Curatorum N. N. Beklagten andern Theils, samt  
vorigen ergangenen Acten zugeschickt, und Unsere  
Rechts-Belehrung darüber gebethen:

Demnach erachten, sprechen und bekennen wir  
Dechant, Ordinarius, auch andere Doctores und  
Assessores der Juristen Facultät, in der Univer-  
sität Wittenberg, darauf solchen Acten gemäß,  
und in Rechten ergründet, nunmehr aus denen  
Acten und derer Partheyen rechtl. Einbringen so  
viel zu befinden, daß Beklagte ihres Einwendens  
ungeachtet, die fol. 1. angegebene gerade Stücke,  
Klägers Principali, ohne Entgeld hinwiederum  
heraus zu geben, sowohl die aufgelauffene Unko-  
sten, davon die anderweitige Judiciales fol. 65. b.  
auf zween Thaler 22. Gr. und die Extrajudicia-  
les fol. 65. auf zween Thaler 10. Gr. zumässigen  
zu erstatten schuldig, von Rechts wegen. Ur-  
kundlich

fundlich mit der Juristen-Facultät Insiegel ver-  
siegelt.

Dechandt, Ordinarius, auch an-  
dere Doctores und Assessores der  
Juristen Facultät in der Univer-  
sität Wittenberg.

### Rationes Decidendi.

Obwohl in der Klage fol. 1. seqq. weder auf den Vergleich fol. 33. libelliret, noch, daß Beklagtens Prinzipaln die libellierte gerade Stücke wirklich habe und besitze, ausdrücklich gesaget, vielmehr jene dieses letztere, und daß sie die besagte Gerade-Stücke pro nunc besitze, oder selbige bei ihr versetzet wären, fol. 16. b. negiret, sodann ein Chemann das Eigenthum selbst an seiner Frau Gerade nicht hat, sondern die-je, da die Frau solche auf gewisse Maafe alieniren kan, dem Ansehen nach zu denen Receptitiis zurechnen, demnach, daß gegenwärtige Klage, weder begründet, noch schlüssig sey, es scheinen möchte; dennoch aber und dieweil den obbemeldten Vergleich, indem daraus contra tertium nicht zu klagen steht, anzuführen nicht nöthig gewesen, sodann Klager, wenn er in der Klage, daß die mehrbemeldte Gerade-Stücke bei Beklagten versetzt worden, anziehet, hierdurch deren gegenwärtigen Besitz an Seiten Beklagtens hinlänglich anzeigt, hingegen dieser fol. 10. b. derer Pfänder nicht abredig

abredig seyn können, und dict. fol. 16. b. nur deren Possess pro nunc nicht zugestanden, jedoch durch Anerbung und Benennung anderer Besitzeren sich der Klage nicht entlediget, vielmehr liet sich offeriret, bey welchen Umständen der Sache, Klägers nachheriges negiren nicht zu attendiren, ferner ein Ehemann von seines Weibes sämtlichen Gütern, in soferne davon durch besondere Verträge nichts ausgenommen, den usumfructum hat,

Land-R. lib. 1. a. 31. § 45.

RAVCHBAR. p. 1. qu. 2. n. 45.

und die Gerade hiervon, indem sie ad bona universa mitgehört, dem Manne auch in Ansichtung der gemeinen Haushaltung und des Weibes selbst, auf mancherley Art und Weise Nutzen und Vortheil giebet, um so vielweniger auszuschliessen, da Gerade zu denen Receptis, als welche ohne besondere Convention nicht existiren können, noch zu præsumire sind, keineswegs zu rednen, sondern ex ipso jure patrio ihre besondere Eigenschaften hat, und längst vorher, ehe die Distinctio bonorum ex jure romano in Sachsen bekannt worden, üblich gewesen, hiernächst eine Ehefrau von ihrer Gerade, so wenig, als von andern Gütern ohne des Mannes Einwilligung, etwas alienieren, oder verpfänden darf, widrigenfalls dergleichen unternommene Verschreibungen und Handlungen einer Ehefrau ipso jure ungültig sind, und die versezte Gerade-Stücken ohne Entgeld vom Ehemann vindicirer werden können,

E 2

Land,

Land-N, dd. II. Mandat von Beschreibungen und  
Obligationen derer Weib's Personen, vom  
18. Novembris 1722.

HOFFMANN, de Gerada P. I. p. 151, seqq. §. 128.

welche Vindication und Revocation um so vielmehr  
contra quemvis possessorem Statt findet, da in gegen-  
wärtigem Falle Kläger sein ordentliches Jus maritale  
zum Grunde gelegt, auch eines theils bereits nach  
dem Römischen Rechte ein Usufructarius actionem in  
rem hat, andern theils nach denen teutschen und Säch-  
sischen Rechten, der dem Marito zustehende Usufruc-  
tus eine species dominii utilis ist,

SCHILTER ad ff. E. 17. §. 19.

BEYER Jus Germ. Lib. 2. Cap. 10. §. 14.

im übrigen bey so fundbaren Rechten und Landes-  
Gesetzen, Beklagter nirgends etwas, weshalben die  
Unkosten zu compensiren gewesen, vor sich hat,

So ist gesprechener massen, billig Correctorie er-  
kannt worden.








ERFURT, Diss. 1742/44



KD78







1744, 9

DISSERTATIO JVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**INVALIDITATE  
DISPOSITIONIS INTER  
VIVOS VXORIS,**  
CIRCA  
**RES GERADICAS, NEGLECTO  
MARITI CONSENSV,**  
QVAM  
INDVLTV ET AVTHORITATE  
**MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS,**  
IN CELEBERRIMA ERFORDIENSI ACADEMIA,  
PRO  
**OBTINENDIS SVMMIS IN VTROQVE  
JVRE HONORIBVS**  
D. XV. APRIL. A. O. R. MDCCXLIV.  
SINE PRÆSIDE  
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
PVBLICE SVBMITTET  
AVCTOR  
**JOANNES CHRISTOPH. WERNHER,**  
ADVOCATVS DRESD.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI.

ERFORDIAE,  
LITTERIS JOH. CHRISTOPH. HERINGII,  
ACAD. TYPOGR.